

E T M E N S V R I S .

IN primis inter authores id constat, quod
 in pōderibus est As, in Geometricis men-
 suris Pes, in aridorum uel etiam humen-
 tium mensuris esse apud Romanos Sexta-
 rium, principium uidelicet quoddam, ad
 quos cæteræ maiōres mensuræ referuntur.
 Quo fit, ut qui eius certā sciētiam habuerit,
 facile sequentiā intelligat: qui nō habuerit,
 quanto magis progreditur, tanto profundi-
 us fallatur, & toto (quod aiunt) aberret cœ-
 lo. Sextarium ergo Isidorus uiginti quatu-
 or Vnciarum esse definiuit, cuius sententiæ
 assertor uideri potest Africanus, qui Librā
 esse Sextarii dimidium scripsit. Et Plinius
 dum Hemīnam (quæ dimidium Sextarii ca-
 pit) esse & Minam author est, subditq; in ea
 Drachmas Atticas centum esse. Addunt &
 in eandem sententiam quasdam rationes re-
 centiores quidam, quæ rem in cōiecturam
 potius deducunt, q̄ in probationis fidem.
 Ego nō uideo, quid hosce summi iudicii ho-
 mines impulerit, ut Isidorum nequaquā bo-
 num authorem opinatissimis scriptoribus
 prætulerint, e quibus Plinius Lib. xxi. capi-
 te ultimo, Cyathū pendere Drachmas de-
 cem scripsit: unde cum in Sextario constet
 duodenos esse cyathos, cōsequens est, Sex-
 tarium non xxiij. Vncias, sed Drachmas

Sextari-
us.

*Contra
Benedictum.*

A iii